

mo in princip. Don Joan. Vela de delict. prima parte, capite 78. numero 33. cum sequentibus.

43 De iure Pontificio nulla poena sanguinis imposita reperitur. Et in crimine perjurii extraordinaria imposita est. Textus in capite fin. 22. questione prima, capite animadvertendum, §. cum ergo 22. questione secunda, capite si quis convictus, capite querelam de iurejurand. Dominus Covarruvias dicto §. septimo, numero tertio, Vela dicto capite vigesimo octavo, numero vigesimo octavo, pluribus Barbosa in collect. dictor. jur. Quibus positus non miror quod; Bauhinus, & ceteri Me-

44 dici, aut Theologi; qui iuris scientiam non gustarunt in his turpiter errant. De Paulo Zacchia, Torreblanca, Basilio, & aliis iuris nostri professoribus merito mirari debemus, quod in re tam gravi, ea quae de iure procedunt, non scrutaverint. Neque relevat quod subiungit Carrança dicto numero sexagesimo nono, ibi: nam in lege catholica tale quid patrans reatus aeterni poenam incurrun. Quia in foro interiori, quicumque Venerem exercet extra matrimonium, eandem poenam incurere notissimum est. Quoad forum verò judicialem delictum punibile hermaphroditus non committit, nisi juramento adstringatur, & ratione perjurii puniendus veniat, sed extra ordinem, ut dixi.

45 Neque ea quae adduntur de peccato contra naturam sustineti valent; quia ad hoc ut simile peccatum committatur inter homines, requiritur quod emissio feminis fiat eo modo quo generatio sequi non possit. Natura namque per libidinis usum intendit propagationem, & sic dum perficitur extra vas generationi naturale, contra naturam fit. Hoc est perdere sexum locum suum, ut dixit eleganter Imperator ibi: in l. cum vir 30. C. ad l. Jul. de adult. ibi: ubi sexus perdidit locum; ubi Venus mutatur in alteram formam. Quando duo hermaphroditi utroque sexu potentes, promiscue eis utuntur, neque extra vas naturale operantur, neque finis naturae defrustratur, cum verè generare possint, sicut isti de quibus loquimur generarunt; neque sexus perdit locum, quia libido exercetur per instrumenta ad hoc procreata, neque Venus mutatur in alteram formam, quia realis viri, & feminae conjunctio fit respectivè, ad bonum prolis, & ad effe-

ctivam generationem omnia ordinantur. Et sic nullum nefandi criminis vestigium reperitur; ipsa natura ordinante; dum absque incompatibilitate actionis & passionis unicuique duo membra genitalia concessit; alterum viri ut agat, alterum feminae ut patiat. Membra enim propriè dicuntur ea quae per se habent aliquod officium separatum, ut docet Bartol. in lege secunda, digest. de publ. iud. ubi communiter Doctores & Baldus in lege data opera, Cod. qui accu. non poss. ex Canonistis Abbas in capite accusasti de accusat. Ex Philosophis Aristotel. libro primo de part. animal. capite quinto, ibi: Non enim sectio, ferre gratia facta est, sed ferre sectionis gratia, cum sectio quadam usio sit. Quapropter anima gratia corpori conditum est, & membrum officiorum gratia constant, & numerum ad quae singula accommodantur: usus enim membrorum à natura concessorum, non potest nemini in eum finem ad quem natura produxit.

Neque ex decisione Textus in lege 47 fœdissimam vigesima, Codice eodem titulo, quam vulgariter interpretantur de femina agente tanquam vir, sicut dicta lege cum vir, de mare patiente tanquam femina. Aliqui credunt hunc Textum intelligendum de femina incuba, cum viro succubo agente, per vas tamen naturale, quod significare videntur Farinacius questione centesima quadragesima octava, numero quadragesimo tertio, & Zacchias dicta questione octava, numero vigesimo quinto. Sed hæc opinio prorsus rejicienda est, quia licet hoc laudabile non sit, crimen non est, imò & culpa caret, ut probat Sanchez de matrimonio libro nono, disputatione decima sexta, numero tertio. Alii interpretantur de Tribada, nempe femina quae tanquam mas in alia femina Venerem explet, sive id fiat fricatione, sive clitoride, sive alio materiali instrumento, de quo Gloss. in dicta lege fœdissimam, Julius Clarus in §. fornicatio, num. vigesimo quinto, Antonius Gomez in dicta lege octogesima Taur. num. trigesimo quarto, Farinacius dicta questione centesima quadragesima octava, numero trigesimo quinto, & quadragesimo, Tiraquellus ad legem nonam connubial. numero centesimo septimo Zacchias dicta questione octava, nume-

numero vigesimo quarto, vers. tritum, Petrus Gregorius libro trigesimo sexto, syn-tagm. capite decimo quarto, numero secundo, Antonius Matthæus libro quadragesimo octavo, ff. tit. tertio, capite sexto, numero octavo, aliis relatis Carpzovius parte secunda, pract. crimin. questione septingentesima sexta, numero decimo septimo, in quo distinguendum puto; nam si femina clitoridem naturaliter aptum ad generandum habuerit, ut possibile supponit Zacchias ubi proximè ex Petro Hurtado, & Garcia, cum ad generationem ordinetur non esse crimen crediderim. Si fricatione extra ordinem punianda est, si cum instrumento ligneo, vel vitreo poena capitali ex doctrina Antonii Gomezii, quem ferè omnes sequuntur, licet Antonius Matthæus absolute poena ordinaria teneri dixerit, & perperam juxta tradita per Perrum Caballum casu decimo nono per totum. De hac autem ultima specie Textum interpretatur Dionysius Gothofredus in eadem leg. fœdissimam. Sed quanquam doctrinam superiorem, adhibita relata distinctione probem, non tamen interpretationem dict. Text. quia verba ejus non congruunt mulieri agenti, sed patienti fœdissimam Venerem. Nam Imperatores Diocletianus & Maximianus, sic dicunt, Fœdissimam eorum nequitiam qua pudorem suum alienis libidinibus prosterunt, loquuntur, namque de feminis pudorem suum prostermentibus, hoc est prostituentibus, ut in lege palam, Digest. de rit. nupt. vel subjicientibus, ut in cap. veniens, de accusat. quæ omnia patientis sunt, non agentis, & sic potius referretur ad meretrices, vel feminas plurimorum stupra patientes, ut Dionysius Gothofredus in eodem Textu interpretatur, vel ad ea quæ de effrenata libidine Tiberii refert Tacit. libro sexto, ann. in princip. ibi: sepe in propinqua digressus, aditis juxta Tiberim hortis, saxa rursus, & solitudinem maris repetiit, pudore scelerum, & libidinum: quibus adeo indomitis exarserat, ut more regio, pubem ingenuam stupris polluerat, nec formam tantum, & decora corpora, sed in his modestam pueritiam, in aliis imaginem majorum, incitamentum cupidinis habebat, unquam primum ignota antea vocabula reperita sunt sellariorum, & spintriarum, ex fœditate loci, ac multiplici patientia. Quæ larius prosequitur Suetonius in ejus vita, D. D. Laur. Matthæus, de Re Crim. Pars I.

capite quadragesimo tertio, & ad rem capite quadragesimo quinto, ibi: Feminarum quoque, & quidem illustrium, capibus quantum solitus sit illudere, evidentiè apparuit. Mallonia cujusdam exitu: quam perductam, nec quidquam amplius pati constantissimè recusantem, delatoribus objecit: ac ne ream quidem interpellare desistit. Ecquid paniteret; donec, ea relicto iudicio, domum se arripuit, ferroque transegit, obscenitate oris hirsuto, atque olido senclarè exprobrata. Quilibet modus delinquendi ex his sumatur, hermaphroditus altero sexu utenti non congruit; quia Venerem exercet per membrum destinatum ad generandum: & sic ex dicta lege fœdissimam, nihil inferri potest ad poenam eidem imponendam. Licet verum sit quod si hermaphroditus imperfectus, data opera aburatur membro ad generationem notoriè invalido, lato modo dici potest quod peccat contra naturam: quia utitur instrumento inepto ad bonum prolis. Sed hoc casu, poena extraordinaria puniri debet, ut in similibus probat doctè Caballus dicto casu decimo nono, quem sequitur Farinacius dicta quest. 148. num. 64. & ferè omnes.

Ex his liquet quòd omnis coitus ex 50 quo generatio sequi potest, licet peccatum, sit in foro conscientiae, excepto matrimoniali; in foro exteriori crimen punibile non est, nisi concurrat qualitas per quam crimen fiat, ut sacrilegium, raptus, stuprum, adulterium, incestus, violentia, & similia, ut resultat ex traditis per Paulum Grillandum in tractatu de pen. omnifar. coitus, Antonius Gomez in dicta lege octogesima Taur. Julius Clarus in §. fornicatio, Farinacius in plenissimo tractatu de delict. carn. Don Joan. Vela de delict. prima parte, capite primo, vigesimo nono, & trigesimo tertio, Pichardus in manu duct. ad prax. parte tertia, §. quarto, numero vigesimo secundo, cum sequentibus, Antonius Matthæus dicto libro quadragesimo octavo, Digest. titulo tertio; Berlichius quarta parte, questione vigesima septima, per plures sequentes, Carpzovius in pract. parte secunda, questione quinquagesima prima, usque ad septingentesimam sextam, quidam crimina ex libidine procedentia accuratè pertractant ex professo, de hermaphroditis utroque sexu utente nihil scriptum reliquerunt, li-

cet aliqui de hermaphroditu raptu tractent; ut Decianus lib. 8. cap. 7. num. 18. & Farinacius quest. 144. numero 48. Nec credendum est, quod præmitteretur ab omnibus si pœna ultimi supplicii, vel alia qualibet puniendum esset. Præ maximè dum neque lege juris civilis, neque alia expressa coërceatur, aut comprehensum appareat.

52 An autem matrimonium consistere possit inter duos hermaphroditos in utroque sexu potentes, eo modo ut reciprocus usus corporum ex utroque sexu licitus fiat in foro interno, quæstio est à Doctõribus nostra jura Pontificia interpretantibus adhuc intacta. Ex Theologiæ professoribus solum reperi Patrem Martinum Perez in dicto tract. de matrim. dict. disput. 37. sect. 15. qui dubius in ea definienda, postquam rationes utramque partem adjuvantes proposuit, Doctõrum auctoritates desiderat, ac tandem concludit quod simile matrimonium continet intrinsicam, & maximam indecentiam ob usum promiscuum utriusque sexus, quem ipsa naturalis ratio summè abhorret, & detestatur.

54 Sed salva pace hujus doctissimi viri, cuius amicitiam in Urbe Valentia prosequutus fui, contrarium prorsus opinor. Quia dubitari non potest quod nec ipse dubitat, de subsistentia matrimonii inter duos hermaphroditos, etiam si in utroque sexu potentes æqualiter sint, quia pullo jure naturæ, civili, vel Ecclesiastico simile matrimonium irritatur. Et ratio est, quia sicut unusquisque eligens sexum ad contrahendum, ritè & rectè contrahit, ut dixi num. 19. & 20. Nihil obstat quominus ipsi inter se contrahant. Et cum de jure civili nuptiæ, sive matrimonium sit: *maris & feminae conjunctio*, individuam vitæ consuetudinem continens, ut docet Justinianus, in princip. institut. de patr. potestat. sive ut dixit Modestinus in leg. 1. Digest. de rit. nuptiar. ibi: *consortium omnis vitæ divini, & humani juris communicatio*. De jure nostro Textus in lege 1. titulo secundo, partit. quarta, explicant Balduinus ad legem decimam tertiam Romul. Petrus Gregorius libro nono. syntagm. capite secundo, ex numero primo, Dominus Covarruvias in 4. Decret. titul. de sponsal. parte secunda, capite primo in principio. Dominus Gregorius Lopez in dicta lege prima, Cujacius in lege quod attinet trigesima secun-

da in fine, Digest. de regul. jur. Brisson. in libell. de rit. nuptiarum in princip. At matrimonium non concubitus, sed consensus facit, ut probat Textus in lege nuptias, trigesima, Digest. de regul. jur. leg. cum fuerit, decima quinta, Digest. de condit. & demonstrat. leg. cum hic status, trigesima secunda, & similiter, Digest. de donat. inter, de jure nostro dicta leg. 4. titulo 1. part. 4. docent Petrus Faber, Cujacius & Revardus in dicta lege 30. Dominus Gregorius Lopez in dicta lege 4. glossa prima, Covarruvias dicto capite primo, numero septimo, Antonius Faber in jurisprudentia, titulo decimo, principio 5. Franciscus Hormannus de rit. nuptiarum capite primo, clarè sequitur quod his juribus, civili Romanorum & Hispano, attentis, ex consensu duorum hermaphroditorum, contrahentium unius sub specie viri, & alterius sub specie feminae, verè & perfectè nuptiæ resultabunt, individuam vitæ consuetudinem efficientes, sive consortium totius vitæ, & communicationem humani, & divini juris. Neque obstat Textus in lege quod pupilla, trigesima, ad finem, Digest. quando dies legat. ced. ibi: *non potest videri nuptia quæ virum pati non potest*. Nam hæc verba respiciunt aptitudinem ad consensum præstandum, ut nuptiæ efficiantur, quæ elicitur ab ætate qua puella fit pubes, seu viripotens, de quo latè, & pluribus Didacus Narbona tractatu de ætate, anno decimo quarto, quæstione prima, numero decimo, cum sequentibus: & quæstione nona, à numero primo. Non autem causam efficientem contractus, quæ ad solum consensum contrahentium reducit. Corporum namque conjunctio nihil nisi turpitudinem habet, nihilque dignum homine, quia in his cum bellius ratione continentur æquari videtur. Quare ab Imperatoribus Theodosio, & Valentiniano, *sordescitionis*, istæ turpitudines appellantur in leg. lenones, sexta. Codice de spectacul. libro undecimo, ut prudenter perpendit Antonius Faber dicto titulo decimo, jurisprudent. princip. 5. Ex quibus resultat, quod adhuc in terminis juris civilis, conjunctio maris, & feminae materialiter sumpta, turpitudinem continet, sordida res habetur, indecentia maxima bellius connaturalis existimatur, quod natura omnia animalia docuit, ut ait Ulpianus in lege prima, Digest. de justit. & jure, ita ut quoad hæc à brutis

à brutis minimè distinguamur. Et nihilominus hæc sordida licita sunt per matrimonium ob bonum sobolis, quod per alia media adquireti non valet. Ergo turpido, & indecentia à Martino Perez considerata non obstat, quominus hermaphroditu matrimonio copulati promiscuè corporibus jungantur, quia naturaliter inest in qualibet conjunctione conjugali; cum hac differentia, quod coitus conjugalis licitus omnijure est ad sobolis procreationem. Neque obstat duplex modus coeundi, nam hoc inseparabiliter concessit natura, dum univertique adjunxit alium sexum, ex quo licita omnia fiunt, quia ratione adjuncti aliquid permittitur quod aliàs non permitteretur, ut docet Barcolus in lege Imperator 18. numero 1. ff. de stat. h. min.

59 De jure Pontificio idem procedere viderur: quia matrimonium eisdem fermè verbis definitur ab Alexandro III. in capite illud undecimo de presumption. ibi: *est viri, & feminae conjunctio individuam vitæ consuetudinem retinens*, & sic tradunt omnes Doctores Canonistæ. Latè Dominus Covarruvias in libro quarto, Decretal. titul. de sponsalib. dicta parte secunda, capite primo, ex numero primo, Barbosa plures referens in Collectan. dicto capite illud. Quam definitionem amplectuntur Theologi ut Magister sententiarum, Sanctus Thomas, & ceteri adducti per Thomam Sanchez de matrimonio, libro secundo, disputatione prima, numero tertio, & octavo, & disputatione vigesima quarta, numero primo, Bonacina eodem tractat. quæstione secunda, puncto primo, Victoria in summ. Sacrament. capite de matrimonio, numero ducentesimo quadagesimo sexto, cum sequentibus, Zambana de Sacrament. capite septimo, numero primo, Layman in Theolog. moral. libro quinto, tractatu decimo, parte secunda, capite primo, in princip. Trullench. tractat. de Sacrament. libro septimo, capite tertio, numero tertio, Basilius Ponz. de matrimonio, libro primo, capite primo, in princip. Martinus Perez dicto tractat. de matrimonio, disputatione decima tertia, sectione decima, numero primo. Et sicut de jure civili, & Hispano, consensu, non copula matrimonium efficitur, sic similiter de jure Pontificio, ut probat Textus in capite primo, & capite quarto, vigesima septima, quæstione septima, ibi: *ma-* D. D. Laur. Mattheu, de Re Crim. Pars 1.

rimonium quidem non facit coitus, sed voluntas, idem probat Textus in capite cum locum decimo quarto, capite cum apud, vigesimo tertio, capite sua fraternitati vigesimo quinto, de sponsalibus, eleganter Sanctus Ambrosius de institut. virgin. capite sexto, ibi: *desponsata enim viro, conjugis nomen accepit. Cum enim initiatu conjugium, tunc conjugii nomen adipiscitur, non enim defloratio virginitalis facit conjugium, sed pactio conjugalis*: sic tenent Sanchez dicto libro secundo, disputatione duodecima, numero tertio, Coninch. de Sacrament. tomo secundo, disputatione vigesima quarta, dubio octavo, numero sexagesimo tertio, Reginaldus in praxi for. penitent. libro trigesimo primo, numero decimo sexto, Barbosa in Collectan. dicto capite cum locum, numero tertio, Zambana dicto capite septimo, numero secundo, Layman dicto capite primo, numero secundo, Trullench. dicto libro septimo, capite quinto, dubio primo, in princip. Castro Palao dicta disputatione secunda, puncto quinto, numero primo, Martinus Perez disputatione 14. sect. 3. num. 1. Dominus Covarruvias de sponsalib. dict. part. 2. cap. 2. num. 2. & Joannes Gutierrez Canoniar. libro 1. cap. 18. num. 4. & clariùs cap. 20. ex numero 1.

61 Iste contractus ritè celebratus inter fideles, elevatur ad Sacramentum, ut pluribus probat Sanch. d. lib. 2. disp. 30. num. 2. & sic tenent omnes Theologi & Canonistæ; & illius virtute contrahentes sunt duo in carne una, ut habetur in Genes. c. 2. ad fin. & in sacrosancto Evangelio Matthæi c. 19. vers. 5. & Marci c. 10. vers. 7. ex quo procedit reciproca potestas corporum ad opus generationis; sic docent Lessius lib. 2. cap. 3. dub. 2. n. 7. Layman. d. c. 1. n. 1. vers. ejusd. Nam ut docet S. Apostol. Paul. Epist. 1. ad Corinth. c. 7. vers. 4. ibi: *mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem, & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*. Ob quod ambo tenentur obligatione justitiæ ad debitum conjugale persolvendum, mediante copula, ut omnes Doctores tradunt. Et quanquam finis essentialis matrimonii intrinsicè consistat in mutua traditione corporum absque eo quod de prole suscipienda tractetur, finis proprius matrimonii est etiam sobolis procreatio, quia ad hoc institutum fuit ante peccatum Adami, & post peccatum ad concupiscentiæ remedium; Kk 3 sic

fic Apostolus dicto capite septimo, in principio, ibi: propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquaque suum virum habeat. Et sic sanctus Augustinus relatus in capite nuptiarum, quadragesimo primo, in principio, vigesima septima, questione prima, eleganter dixit: Nuptiarum bonum, semper est quidem bonum, sed in populo Dei fuit aliquando legis obsequium, nunc est infirmitatis remedium. Notant Dominus Covarruvias dicto capite primo, §. unico; numero sexto & Dominus Gregorius Lopez in lege prima, titulo quarto, parte prima, glossa octava. Qui finis dicitur extrinsecus, & accidentalis ipsius matrimonii; sed quodcumque initum ob aliquem ex istis finibus licet, & validè contrahitur. Dominus Covarruvias ubi proxime, Sanchez, Paludanus, Layman & alii quoscit, & sequitur Castro Palao dicta disputatione duodecima, puncto decimo, numero primo, quibus addendi sunt Trullench. dict. libro septimo, capite quarto, dubio tertio, puncto tertio, & capite quinto, dubio tertio, numero sexto, Martinus Perez dict. tractat. de matrimon. disput. decima quarta, sectione septima. Quilibet ex his finibus concurrere potest in matrimonio ad hermaphroditis contracto, vel contrahendo si in utroque sexu aequaliter, & perfectè potentes sint. Et cum filii sint Adami, & creaturæ rationales, ut philosophatur Baahinus dicto libro primo, capite trigesimo, propter finem operari credendum est, ut ait Aristotel. ethicor. primo, capite quarto, ac per consequens, quando matrimonium contrahunt, ea intentione copulari est tenendum qua cæteri homines; & sic propter finem ad quem institutum est. De vera corporum traditione dubitari non potest, quia alias contractus esset nullus, & sic illa intenditur quoties matrimonium celebratur solemnii ritu orthodoxæ Ecclesiæ: de fine sobolis suscipiendæ dum aptam naturam habent, ad generandum cum cæteris hominibus æquales sunt: ac per consequens sicut desiderio cæteri rapiuntur ad generandum, ut quodammodo immortales fiant, sic similiter hermaphroditæ eodem affectu ducuntur.

68 Tertius denique finis, nempe remedium libidinis ab hermaphroditis intendendum est duplici affectu, quia stimulis Veneris ex duplicato membro,

dupliciter subjiuntur; qui quidem finis obtineri completè ab ipsis non potest nisi permittatur usus utriusque sexus promiscuè, cum ex utroque peccati periculo exponantur, & sic remedium adhiberi utrique concedendum est. Quod hermaphroditus sub specie viri dicens uxorem simpliciter sexu præditam teneatur alia remedia querere per jejunia, abstinentias, & similia necessarium est, quia in conjugio non habet remedium ad infirmitatem carnis sedandam. At in eo qui copulatur per matrimonium cum altero hermaphrodito, dum in conjugio remedium in promptu habet, difficillimum erit abstinere, quia dum sexu permisso utitur, stimulis Veneris uri est ferè necessarium cum genitalia utriusque sexus reperiantur in eadem corporis parte, & ex usu unius, aliud excitari est ferè necessarium: quare obnoxius remanebit periculo incontinentiæ, si in ipso conjugio non esset permissus usus alterius sexus; si enim conjux sub reatu culpæ mortalis tenetur subvenire conjugii, quando cognoscit subijci periculo incontinentiæ, ut docet Sanctus Thomas in quarta sententia distinctione trigesima secunda, questione unica, articulo secundo, quaestiuacula 1. ad 1. & post eum Præpositus, Gabriel, Turrecremata, Sotus, Palacios, Henriquez, Ledesma, & alii quos laudar & sequitur Thomas Sanchez dicto libro nono, disputatione secunda, numero sexto, quam conclusionem tenent etiam Victoria in dicta summa, capite de redd. debit. numero 275. Basilius Ponz dict. tract. libro decimo, capite secundo, numero secundo, Layman dicto tract. undecimo, parte tertia, cap. 1. numero primo, & capite quarto, numero secundo, Castro Palao dict. tom. quinto, disput. tertia, puncto quarto, §. 1. numero quarto, & Trullench. dict. libro septimo, capite nono, dubio secundo, numero tertio. Si licita est copula conjugalis ob solum finem vitandæ proptiæ incontinentiæ, ut docent Basil. Ponz dict. libro 10. capite 8. num. 8. Coninch. disput. 14. dub. 1. num. 6. Rebell. lib. 1. quest. 19. sect. 1. Hurtado disp. 10. dist. 2. n. 4. & Mart. Perez disp. 49. sect. 2. num. 2. Neque advertatur Th. Sanch. d. lib. 9. disp. 9. n. 1. & 4. dum probabilitatem hujus sententiæ fatetur: & contrariam sequendo, ut plurimum culpam venialem irrogat, si ad secundam

dam libidinem, non adhibuerit alia remedia macerationis & abstinentiæ. Quare in hermaphroditis conjugati modo prædicto culpa mortalis imponenda est, dum ferè inculpabiliter periculo incontinentiæ subjiuntur ex usu unius sexus; & si alio utantur, eisdem corporibus in quibus potestatem habent?

72 Quod periculo incontinentiæ subjiuntur dubitari non potest ratione occasionis proximæ, quæ frequenter se offert dum cohabitant tanquam veri conjuges mutuo amore affecti in eodem thoro recumbentes, & quod magis est, ex usu Veneris in sexu permisso, amplexibus, osculis, & tactibus, in eo statu permittis. Appetitus sensitivus in Veneris, animalis est, non rationis; & licet rationi subjiatur, plerumque voluntas vincit rationem, quia pauci sunt qui resistunt sensui, ut dixit Sanctus Thomas prima parte, questione centesima decima quinta, articulo quarto. Si enim ex visu, colloquio, vel sola cogitatione femininarum prudentissimi viri tot pericula experti sunt, etiam si auftera maceratione corporales passionis opprimant: si in hac materia sola fuga remedium sit, ut dixit Apostolus, quid eveniet conjugibus quibus fuga est negata, cohabitatio necessaria, concursus in thoro gentili quotidianus, amplexus, & allocutio continua, & cætera conjugibus permittis minimè eis interdita? Hi duo una caro effecti sunt, individua vitæ consuetudo concessa est, commercium inseparabile inditum: ergo dum unus numero conjux utitur alio numero conjugis per instrumenta naturaliter apta ad sobolem procreandam, licet fieri posse opinor dum Sancta Mater Ecclesia aliud non statuat, vel peritiores concludentes rationes non adducant, quia, ut dixi ex Bartolo in dicta lege Imperator, numero primo, adhuc in pœnalibus ratione adjuvanti permittitur, quod alias non permitteretur. Neque similis usus contra naturam matrimonii videretur, ut opinatur fuit Pater Martinus Perez dicta sectione decima quinta. Nam licet ingeniosè contendisset probare, quod virtute, & æquivalentia inter duos, & duas celebrari videbatur, quia quatuor sexus reperiebantur, & sic virtualiter

duo contractus apparebant. Respondenti potest, quod Phyticè duo contrahentes tantum erant, & ex instrumentorum multiplicatione non multiplicatur contractus, neque duplex traditio corporum fiebat, quia corpora duo tantum reperiebantur, quæ promiscuè traderebantur, neque multiplicabantur individua contrahentium, neque duplex consensus considerari in unoquoque poterat, quæ sunt essentialia ad matrimonium. Cætera per accidens se habent, quæ nullius momenti sunt, ut eleganter mihi probat Textus, in lege idem Offidius decima, §. secundo, Digest. de edit. edict. ibi: sed si quis plures digitos habeat, sive in manibus, sive in pedibus, si nihil impeditur numero eorum, non est in causa redditionis: propter quod non illud spectandum est, quis numerus sit digitorum, sed an sine impedimento, vel pluribus, vel paucioribus uti possit. Nam sicut in dicto Textu, servus non dicitur inutilis ex pluralitate membrorum, quando nihil impeditur ex multiplicitate, nam ut dixit Paulus in lege non sunt, decima quarta, Digest. de stat. homin. hoc est officia membrorum humanorum ampliare: sic similiter ex multiplicitate genitalium, officia generationis ampliata dicenda sunt, dummodo ipsius generationis effectus non impediatur cum quibus consonat de jure Hispano Textus in lege vigesima quinta, titulo sexto, parte prima, ibi: los que oviesen seis dedos en la mano, ut notat Dominus Gregorius Lopez ibidem glossa septima. Et ex eo quod per diversa membra, vel media, consequatur finis naturalis procreationis filiorum, aut finis accidentalis remedi libidinis, dum per vasa naturalia queratur cessat causa peccati; solum enim peccasse naturam crediderim, dum procreavit monstruos contrahentes: non verò illos, qui effecti duo in carne una, cum potestate reciproca corporum ad bonum sobolis procreandæ, vel ad remedium libidinis, suo jure utuntur.

Hec nostra opinio, quam auctoritatibus confirmare non est facile; rationibus comprobanda est Theologicis, juridicis, & naturalibus, desumptis à Doctoribus probare doctrinæ. Prima ratio sit desumpta à Doctissimo Thoma Sanchez dicto libro septimo, Kk 4 dispu

disputatione centesima sexta, numero octavo, quem sequuntur Bonacina de matrimonio, questione tertia, puncto decimo tertio, numero vigesimo nono, Castro Palao dicto tomo quinto, disputatione quarta, puncto decimo quarto, §. quinto, numero tertio, & Trullench. dicto libro septimo, capite nono, dubio decimo sexto, numero trigesimo septimo, dum tenent quod si hermaphroditus, qui sub specie viri contraxit, viduus fiat; quamquam juramento elegisset sexum, & promiserit alio non uti, si postea nubat viro sub specie feminae, quamquam peccatum committat, 75 juramentum transgrediendo, valide contrahit, quia natura concessit illi facultatem contrahendi sub utraque specie, quam non amisit per electionem unius sexus. Neque à jure naturæ, neque à jure Canonico simile matrimonium irritatur, cum non adit impedimentum dirimens hujusmodi contractum. Ergo similiter in nostra specie, & majori absque dubio ratione, quia electio sexus facta non fuit, neque juramentum præstitum de non utendo alio sexu; sed ut plurimum electio præsumitur facta secundum gestationem habitus, vel nominis sub quo unusquisque contraxit, quod non est sufficiens ad impediendam facultatem à natura concessam, dum eos produxit potentes in utroque sexu, neque potestatem reciprocam corporum provenientem ex matrimonio, per quod jam sunt duo in carne una.

77 Secunda ratio desumi potest ex communi doctrina Theologorum, & Canonistarum, quam cum Alberto Magno, Gabriele, Soto, Ovando, Matienço, Vivaldo, Vega, & aliis tradit idem Thomas Sanchez dicto libro nono, disputatione decima sexta, numero quarto. Quo probat quod excessus Veneroorum inter Conjuges servato naturali vase culpam venialem non egreditur. Sequitur Castro Palao dicto tomo quinto, disputatione tertia, puncto quarto, §. 3. numero primo. Nam ea quæ inter conjuges fiunt casta, & pudica dicuntur, 78 Textus in lege mulier, vigesima secunda, §. cum proponeretur, Digest. ad Trebell. ibi: quod & mulieris pudicitia, & patris voto congruebat, notat aliis relatis Antonius Gomez in dicta lege octogesima, Taur. numero tertio. Sed in nostra specie conjuges corporibus in matrimonio vi-

cissim traditis utuntur, & naturalia vasa servant ad procreationem sobolis, quia apta ad generandum sub utroque sexu supponuntur, ut in effectu sunt, cum ambo in utero gestare reperti fuissent: ergo si aliquis excessus in usu Corporum consideretur, non excedit culpam venialem.

Tertia ratio resultat ex traditis per Ferdinandum Castro Palao dicta disputatione quarta, puncto decimo quarto, numero quarto, ibi: Conjugio per hermaphroditum secundum unum sexum contracto, peccatum adulterii esse, altero viro; qui hermaphroditus nequit corpus suum alteri tradere. Et rectè, quia adulterium de jure Canonico, est violatio matrimonii quoquo modo fiat, ut omnes tenent; quia ut eleganter dixit Terullianus libro de monogamia, capite nono, ibi: Adulterium est cum quoquo modo disjunctis duobus, alia caro, imò aliena miscetur, de qua dici non potest: hoc est caro de carne mea, & hoc os de osibus meis. Et sic jure Pontificio attentio maritus, quoquo modo aliam cognoscat, adulterium committit. Textus in cap. nemo 4. 32. questione 4. capite 14. eadem caus. questione secunda, capite transmissa, de eo qui cogn. consanguin. capite intelleximus, de adulter. ubi Barbof. in collectan. numero secundo, & tertio, notant Antonius Faber jurisprudent. dicto titulo decimo, princip. 6. illat. 25. Layman libro quinto, tractat. 10. questione 3. cap. 3. num. 1. D. Covarr. dicto libro 4. decret. tit. de sponsal. 2. parte cap. 7. num. 5. (licet de jure civili solum committatur adulterium per uxorem, ut notat Covarruvias ibidem, & ego dixi 2. tomo de regim. Valent. capite 8. §. 8. num. 188. cum sequentibus.) Ratio dispositionis Pontificæ est; quia, ut dixi supra num. 62. ex divo Paulo; mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; nec vir sui corporis potestatem habet, sed mulier. Si ergo hermaphroditus altero sexu utendo adulterium committit, clarè sequitur quod neque in illa parte potestatem sui corporis habet, sed conjux. Ac per consequens iste conjux qui obtinet potestatem illius etiam partis, poterit ea uti licitè quando natura concessit ipsum habere membrum naturale ad hujusmodi usum.

82 Quarta ratio desumitur ex traditis à Doctoribus Medicis qui asserunt posse dari


dari in eodem subjecto multipliciter genitalium ejusdem sexus, ut ex Julio Obsequente refert Uliisses Aldrovandus d. c. 5. pag. 512. litt. D, dum enarrat mulieres duplici vulva natas, imò post dict. pag. 41. ponit iconem feminae habentis duas vulvas in parte corporis assueta.

83 Hanc sententiam sequitur Paulus Zachias, d. g. 8. num. 34 & 35. si hujusmodi femina nupserit, nulla lege, vel ratione adstringitur ad simile vitium manifestandum, neque ad eligendum pro usu matrimonii unam, aut aliam vulvam. Maritus autem virtute potestatis acquiritur per matrimonium in corpore hujus uxoris poterit uti utraque vulva, neque aliqua lege adstringitur ad eligendum, aut antè aut post contractum, hanc, vel illam: absque eo quod accessus peccaminosus sit dum utraque apta sit ad coitum, & generationem. Ergo sic similiter in hermaphroditis, quia ex diversitate sexus non tollitur potestas corporum mediante matrimonio acquisita per contrahentes, & si nulla ratione impediri potest usus promiscuus illorum corporum ad bonum proles, nisi adit jurisjurandi religio, quia semper conjuges utuntur corporibus in quibus potestatem habent ad finem naturalem, ratione cujus matrimonium institutum fuit.

84 Sed dices; hoc monstruosum est. Fa-teor; sed inter monstruosos conjuges solum contingere potest, cum eis lasciviente natura. Sed non inde crimen capitale imputandum, aut peccatum lethale statuendum, imò fragilitati condonandum, quiddam præter rerum ordinem evenerit, quia præter naturæ ordinem ipsi conjuges producti reperiuntur. Dices amplius turpia & indecentia videri. Non nego, sed ut diximus, corporum materialis conjunctio nihil habet dignum homine, omnia turpia sunt, sed hæc pudica & casta inter conjuges censenda ex d. l. mulier 22. §. cum proponeretur, ff. ad Trebell. Quare omnino cessat illa maxima indecentia, quam consideraverat doctissimus concivis P. Martinus Perez d. scilicet. 15. n. 2.

86 Ex quibus omnibus tenendum firmiter credo, delictum punibile in eis hermaphroditis non reperiri. Et quoad forum internum opinor, quod licitè utroque sexu uti poterant virtute potestatis corporum acquisitæ per matrimonium, cum facti fuissent duo in carne una ad

finem naturalem proles, vel ad finem remedii incontinentiæ: quæ ut cætera, dicta sint sub correctione sanctæ matris Ecclesiæ. Sed de his satis, ne in re obscena plus debito laboremus.



## CONTROVERSIA XLIX.

De corruptore, & raptore virginis Vestalis.

## SUMMARIUM.

- 1 Facti species proponitur.
- 2 Corruptores virginis Vestales pœna mortis plecti debent.
- 3 Raptores eadem pœna tenentur.
- 4 Corruptores virginis memoratas tria crimina capitalia committunt.
- 5 Stuprum etiam quod est grave crimen.
- 6 Vestalium turpitudinem admittentium pœna apud Romanos.
- 7 Corruptores Vestales virginis eo jure cadebantur in commissis, usque ad necem.
- 8 Pœna quam hodie subeunt, tam illa, quam ista.
- 9 Raptus crimen adest, quando Vestalis septa Monasterii transgreditur violentè.
- 10 Extremis probatis medium probatum præsumitur.
- 11 Raptus pœna non vitatur, ex voluntate Vestalis.
- 12 Raptus pœna mortis naturalis est, omni jure.
- 13 L. 2. tit. 19. part. 7. explicatur.
- 14 Transgredi septa Monasterii cum scalis, vel similibus instrumentis, non est factum solius Vestalis.
- 15 Auxilium ab Amasio præsumitur præstitum.
- 16 Raptus committitur quando Vestalis abducitur à limine Monasterii adrefugium, vel receptaculum.
- 17 Fœmine sub aliena potestate existentis voluntas, nihil operatur ad raptus pœnam vitandam.
- 18 Vestales non sunt sui juris post professionem.
- 19 Vestales libertatem amittunt, ubi sub potestate Prælati sunt, non habent vellet nec nolle, & quidquid adquirunt, Monasterio adquirunt.
- 20 Coitus probatur per apprehensionem solius